

Q. N. 531, 12.

B. m. II, 631

II 634



XA860576

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO PHILOLOGICA  
DE  
EBRAICÆ LINGVÆ  
ANTIQUVITATE,

QVAM

PRÆSES

M. GEORGIUS DANIEL

HILLISCHERUS,

Schmidebergâ Saxo,

&

RESPONDENS

JOHANNES FRANCISCI,

LISCHOVVINUS dictus,

Bisfritzâ ad Vagum Hungarus,

Serenissimi ELECTORIS Saxonix

ALUMNI

*In Auditorio Veteri*

ad Diem 15. Octobris

A. O. R. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> LXXXI.

defendent.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS BORCKHARDI, Acad. Typogr.

*Cl. Dr. M. Georgio Lami.*

*Illustrissimis ac Generosissimis*

DN. DN. DN.

**DNO. NICOLAO, S. R. I. BANDE-  
RESIO, ET LIBERO BARONI à GERS-**

**dorff, Dynastæ in Baruth, Breitingen, Hausvvalda**

**& Rackel, Potentissimi SAXONIS Ensisferi**

**Comiti & Consiliario Intimo.**

**DNAE. HENRIETTÆ CATHARI-**

**NÆ, BARONISSÆ à GERSDORFF,**

**Natæ Baronissæ à Friesen,**

**DN. JOHANNI GEORGIO LIBE-**

**RO BARONI à GERSDORFF, ACADEMI-**

**CÆ in Celeberrima Albimontana Juventutis hodie**

**DECORI Splendidissimo.**

**S. P. P.**

*VOS, tanquam literarum Statōres, suspicere jam pridem Gorlicii me docuit Ve-  
nerandus Præceptor meus, Christianus Funecius: VOS, tanquam Mæcenates incom-  
parabiles, colere didici ab universa cœlestis Veritatis Testium Coronâ. Quidni igi-  
tur finitis, ut, dum perennes Magnificentia Vestrae sunt fontes, unius guttule hau-  
sum facturum, in humillimum Cultus Vestri testimonium, chartaceum hocce mu-  
nusculum, utut nihil tantis LUMINIBUS dignum contineat, ad pedes Vestros de-  
ponam atque explicem? Imò finitis, meque in studiorum cursu languentem, refici-  
tis. Quod singulare beneficium uti grata mente agnosco, ita supplici poplite Supre-  
mum NUMEN, ut VOBIS largissimè refundat, veneror,*

*Illustrissimorum NOMINUM VESTRORUM*

*Cultor humillimus*

**JOHANNES FRANCISCI, Hungarus,**

**Disputationis Respondens.**

*ma. sig. P. N. 10*



I. N. I. A.

*Proœmium.*



Icet e quidem Sanctissimæ Lingvæ studium supervacaneum quibusdam esse videatur; iis præcipuè, qui aliorum potius, jater pretum scilicet, quàm suis ipsorum oculis videre non dubitant: attamen ex Cordatioribus sunt, quibus Lingvæ Ebrææ peritiâ nihil prius esse solet, nec quicquam magis necessarium. Nam veluti miles armis destitutus nomen militis; ita etiam is ipse, qui animum ad Divinarum Rerum intelligentiam applicare imbibit (de alio enim literarum genere jam non loquar) eruditionis tamen Ebraicæ expertus, Theologiæ studiosi titulum non meretur. Quis enim usq; adeo insulsus est, ut oculos sibi corporis erui permittat, eò quod ab alio duci possit? Igitur neq; nos, propter multiplicem Commentariorum in Sacros Libros varietatem, Fontes ipsos negligemus. Quamquam verò non inficiamur, ex Interpretum Versionibus non minimum percipi posse utilitatis, non iccirco tamen iisdem inhærendum: præstat quippe scaturiginem ipsam, quam rivulos, consecrari, tantumq; insuper abest, ut interpretes ad unum omnes in omnibus consentiant, ut sæpissimè potius in quàm plurimis dissentiant. Quid itaq; hîc factò opus est? Sanè ad Fontes recurrendum, indeq; dispiciendum, cuinam interpretationi album calculum adjicere debeamus. Quamobrem non perdunt oleum atq; operam, qui quamprimum Sacris Academicis initiati sunt, ingenii vires in Lingvarum studio periclitantur: quod à nobis etiam factum esse meminimus, hodieque exercitio tali aliquot consecrare horas amamus. In cuius rei fidem, publicum Specimen, in præsentî, *ANTIQUITATEM EBRAICÆ LINGVÆ* defensuri, exhibemus. Quod ut felix, faustumq; sit, precamur.

Doctorem Doctor, mi *JESU*, sis mihi præsentis,

Sic erit in Domino non sine fruge labor!

A 2

THE-



## THESIS I.

**C**um autem Terminorum consideratio maximè hîc censeatur necessaria, Etyma adducere, nostrarum omninò erit partium. Quare de origine Vocis *Ebraus* quatuor potissimùm annotamus sententias: quarum primam sibi vindicat Augustinus *22. in Gen. qu. 24. & L. 1 de Consensu Evang. c. 1.* Ambrosius *in C. 1. 3. Epist. ad Philipp.* Eusebius *in Lib. 9. de prepar. Evang. cap. ult.* Lyranus *in Matth. 21. 28.* & alii, qui vocem istam ab Abramo petere non dubitant, ita quidem, ut *Ebraum* idem sit, quod *Abraum*. Et Ambrosius in primis innuit, literam primam  $\kappa\alpha\kappa\omicron\phi\omicron\upsilon\iota\alpha\varsigma$  evitandæ gratiâ, esse mutatam: sicuti in voce *meridies* factum esse animadvertimus. Nimirùm Veteres, posteaquam intellexerunt, τὸ *medidies* auribus ingratum, dixerunt *meridies*, & ea de causa, pro *Abræus* vocem *Ebræus* usurpare cœperunt. Alteram sententiam tribuimus Theodoro *in Gen. qu. 60.* Origeni *in L. Num. Hom. 19.* Hieronymo *in Esai. XIX, 18.* Chrystomo *in Gen. Hom. 35.* qui vocem  $\text{עֲבָרִי}$  derivant à Radice  $\text{עָבַר}$  transivit, & per transitorem exponunt, quia Abram aliquem trajecisset fluvium: sed quisnam ille fluvius fuerit, gravissimi Auctores in contrarias abeunt opiniones. Ceterùm alii volunt, nomen *Abramo* filio Tharæ impositum fuisse à Cananæis, quoniam ille, quum ex singulari DEI instinctu terram eorundem peteret, fluvium *Euphratem* trajicere cogebatur. Aliis placet *Ebræos* à transitu *Jordanis*; aliis deniq; à transitu *Tigris* Transitores appellare. Quod postremum Etymon compluribus arridet; utpote cui & ipsa LXX. Interpretum versio magnam lucem afferre potest, quæ vocem  $\text{עֲבָרִי}$ . *Ebræi Genes. XIV. 13.* vertit per  $\text{Περάτην}$  transitorem. Tertiam amplectuntur cum Christianorum, tum Judæorum non pauci, apud *Buxtorffium in Dissert. Philol. Lit. Aa. 3.* qui deducunt vocem  $\text{עֲבָרִי}$  ab  $\text{עָבַר}$  trans. Abram namque transitu ex Mesopotamia in Cananæam factò, cum Vernaculis suis  $\text{עֲבָרִי נְהָרִי}$  Transfluviales audiebant. Postrema, & ut quidem nobis videtur, optima sententia eos agnoscit auctores, qui pro eadem, tanquam pro aris & focis pugnant, natales τῶν *Ebræus* ab *Ebero*, Semi pronepote petentes. Hanc igitur & nos ut defendamus

mus

mus, non una nobis Philologorum ratio svadet. Quod enim  
 ad primam S. Patrum, & Lyræ attinet sententiam, illa primùm  
 in Lingvæ Ebrææ principia peccat, quod ipsum ex Literis mani-  
 festè patet: siquidem *Abram* incipit à litera **א** *Eber* verò à litera  
**ע**: Deinde voces simplices à compositis, contra Grammatico-  
 rum Canones, derivat: *Abram* enim vox est composita ex **אב** Pa-  
 ter & **רם** excelsus; sed vox **עברי** est simplex: Quapropter  
 illam admittere non possumus. Neq; alteram approbamus, quia  
 Nomina Populorum in *Jod* exeuntia sunt vel Patronymica, vel  
 Gentilia. Accedit, id nec probabile videri, ut ex transeundi actu  
 Populus DEI tali nomine insigniatur. Et positò nondum con-  
 cessò, quod **עברי** è transitu descendat: num tamen *Pater*  
*ille credentium*, **עברי** nominandus? Quin potius **עובר**, quod  
 est participium, vel **עבר** transivit. Tertia autem, utut ve-  
 ritatis speciem præ aliis mentiatur, (absurdum quippe non est,  
 populam à terra, quam colit, frequentissimè nominari, uti  
*Transylvanus*:) tamen nihilominus si *Abram* à regione  
 dictus fuisset, nomen hoc cum multis aliis, imprimis cum  
*Loth*, ejusq; *Posteris* commune habuisset. Atverò quis unquam  
*Loth* ejusq; *posteror* dixit Ebræos? Stat ergò quarta omni-  
 um firmissima, quæ fundatur in hoc argumento, quòd non  
 modò Gens Ebræa ab *Ebero* descenderit, verùm etiam sola  
 lingvam ejus, h. e. sacram & primævam retinuerit. Patescit  
 id ex Analogia Grammatica, & Terminatione, quam su-  
 præ attigimus. Nominum Gentilitiorum & Patronymicorum.  
 Populorum enim Nomina Lingva sancta desumit vel à Re-  
 gionibus, quas inhabitant, ut à *Sepharad* **ספרדי** Hispa-  
 nus; à *Zarpath* **צרפתי** Gallus dicitur: vel ab ipsis Con-  
 ditoribus, ut ab *Aschenaz* **אשכנזי** Germanus, ab *Edom*  
**אדומי** Edomæus, à *Moab* **מואבי** Moabita, à *Mitzraim*  
**מצרי** Ægyptius, & sic in aliis. Ergo ex *Eber* fit *Ebraeus*. Facit huc  
 etiam *Locus Genes. X, 21.* in quo *Sem*, singularis elogii causâ, pater o-  
 mnium filiorum *Eber* audit, cum tamen ejus quintò nepos hic esset. Si  
 vero quis excipiat **עבר** hęc contractè dici pro **הנבר** o-  
 mnibus

inibus transfluvialibus: huic regresserim, si hæc Mosis fuisset  
 mens, tum ipse integrè fuisset locutus. Etenim quamadmo-  
 dum *Bethlehemitas* בני בית filios Beth nominare non pos-  
 sum; ita nec hîc loci res procedit, præsertim quum Moses  
 nuspiam Mesopotamiam vocet עבר הנהר terram trans-  
 fluvialem, neq; ullus in sacro Codice reperiatu verficulus,  
 in quo Ebraei filii Eber Hannahar nuncupentur. Et si hæc  
 interpretatio est genuina, quidni omnes filii Eberi audiant  
 Transfluviales? Nonne omnes ex Mesopotamia erant orti?  
 Rectius sanè atq; accuratius rem perpenderunt, qui locum  
 hunc de Ebero, filio exposuerunt, ut *pater filiorum Eber*  
 idem significaret, atq; pater Ebræorum: sicuti *Israélite* per  
 filios Israel, *Judæi* per filios Judæ, *Moabita* per filios Moab  
 intelligi solent. Vocatur autem *Sem* Pater filiorum *Eber*,  
 quia Eber maximus natu ejus filius erat, qui & familiam &  
 linguam propagavit, & in quem paterna transit benedictio.  
*Conf. Magnif. D. Calovius in Crit. S. Buxtorff. l. Hottinger.*  
*Thesaur. Philol. p. 4. Mayer, Philol. S. part. 2. p. 251. Leusdenius*  
*Philol. S. Dissert. 21. P. 238.*

## THESIS II.

**A**tq; hæc vocis *Ebraeus* fuit Paronymia Grammatica, ex  
 qua sequens Criticorum resultat quæstio: *An scilicet τὸ*  
*Ebraeus cum aspiratione? an verò sine ea scribendum?* Con-  
 suetudine enim introductum fuit, ut & Latini, & Græci  
 hanc vocem aspirarent, sicut hoc adhuc hodieq; observare licet,  
 dum illi, quos alioqvi meritò eruditus admiratur orbis, pro  
*Ebraeus* scribunt *Hebraeus*. Atvero unde illud H? Cum Athen-  
 tico hîc Textu, quod sine præjudicio intellexerimus, facien-  
 dum, cum eodemq; non *Hebraeus*, sed *Ebraeus* pingendum, h.  
 e., in Lingva Romana per Simplex E; in Attica verò per Spiri-  
 tum Lenem efferendum; neq; enim dico *Himmanuel*, sed  
*Immanuel*. At uti τὸ *Ebraeus*; ita etiam τὸ *Immanuel* ab initio  
 habet *υ*. Quamquam non ignoremus, *Altingium Gram. ebr.*  
 docere,

docere, Consonantem  $\Psi$  inter alia per triplex  $\text{H}$  esse exprimen-  
dum: distinxerimus tamen *inter*  $\Psi$  *Gutturale*, quod hodie tant  
Ebraeis, quam Arabibus & Samaritanis litera tenis est; ac *inter*  
 $\Psi$  *Gutturale*, quod olim crassa fuit litera, & à modernis quidem  
Judæis ignoratur. si posterius,  $\Psi$  intelligatur, facile Altingio assur-  
rexerimus; si prius nos habuerit sibi contradicentes. Nec ob-  
stat hinc quicquam, laudatum  $\Psi$  ab aliis per  $\text{G}$ , ut à LXX. inter-  
dum; ab aliis per  $\text{GH}$ . ab aliis per Asperum Græcorum Spiritum;  
ab aliis aliter exprimi: quia enim id prolato difficillimum sit,  
nec à quopiam, nisi à teneris assuefiat, efferri possit, manet nobis  
ἡ Φωνὴ. Vid. Excell. Noster Sennertus & Celeberr. Wasmuthi.

### THESIS III.

Huc usq; vocem *Ebraus* consideravimus: jam igitur nomen  
*Lingvæ* exponemus. Hoc verò cum Becmano in *Orig. L. E. p. m. 621.*  
à *Lingendo* deducimus, intelligi volentes; non membrum illud  
corporis, quod palato subjacet, ad formandam vocem ciborumq;  
usum ac sapes dignoscendos accommodatum; sed per *Metony-*  
*miam Efficientis*, differentiam, formam & dialectum sermonis.  
Et sic *Ebræa Lingua* tantum involvit, quantum dialectus, sive idio-  
ma sermonis *Ebraici*, quò *Ebræi* in loquendo & scribendo usi fu-  
erunt.

### THESIS IV.

Ac hæc quidem Dialectus *Ebræa* cognominatur *Sancta*:  
cujus denominationis varias apud *Lingvæ* hujus peritissimos  
videre est rationes. Alii siquidem volunt, quod *Sancta* dicatur  
ab *Auctore*, *DEO* nempe *Glorioso*, qui est Sanctus Sanctorum. Unde  
R. Samuel Arcuvolti in *Arugas Halbosem* c. 9. allegante  
Buxtorffio, ait: *Rabbini nostri vocarunt eam Lingvæ Sanctitatis,*  
*b. e. Lingvæ DEI, qui est Sanctitas Sanctitatum.* Alii innu-  
unt, *Lingvæ Ebrææ* hoc Epitheton tribui *respectu Materie*, quia,  
uti loquitur Rivetus, *Tom. 1. op. f. 256. a. Turpia honestè & castè,*  
*profana*

*profana verò sanctè proferre soleat.* Quando enim David, ut exem-  
 plò illustrem, adulterium commiserat, Lingva Sancta factum  
 hoc turpissimum efferebat verbis castissimis: Introivit, dicens, ad  
 Bathsebam. Sic, quando Adam cum Eva cohabitaverat, expres-  
 sit hoc per τὸ *cognoscere illam, Gen. IV, 1.* Quando Isaac uxoris  
 suæ amplexu delectabatur, Lingva Sancta Isaacum colluisse cum  
 uxore sua, *Gen. XXVI, 8.* affirmavit. Sic de Ruben, incestum com-  
 mittente eadem testatur, ipsum ascendisse cubilia patris, *Genes.*  
*XLIX, 4.* & de Saule, alvum exoneraturo, dicit: *Saul speluncam*  
*ingrediebatur ad tegendum pedes suos.* Et sexcenta alia,  
 quæ sacrarum Literarum cultori sunt haut ignota. Hic tamen in-  
 super minimè prætereundum est, complures ex Judæorum Do-  
 ctoribus probare, nullum vocabulum generandi membrum proprium,  
 sive virilem, sive sequiorem sexum spectes, in Lingva extare, neq;  
 actus, quos natura in occultis patrare consuevit, propriè indicari;  
 sed omnia verbis Tropiciis & Metaphoricis cum mortalibus com-  
 municari. Atverò huic opinioni verbum *חַוָּה* coivit, quod in  
 Fonte occurrit, contrariatur. Quæ etiam causa est, quamobrem ali-  
 qui malint Linguam Ebræam ideò Sanctam appellari, quod res  
 sanctæ, ut sunt *Doctrina de DEO, de Lege DEI & his similes,*  
*eandem sint traditæ.* Non nulli tamen præterea rationem à *subjecto*  
 petitam huic addunt, quoniam Lingva hæc populo sancto fuerit  
 materna, inq; terra sancta perpetua. Quas opiniones si omnes  
 conjunges, purus fueris ab errore: ad has enim simul respexisse  
 Auctores, absurdum nobis statui non videtur. *Conf. Buxtorff. Dissert.*  
*Philol. Diff. 1. Leusden. Philol. Ebr. Dissert. 21. p. 247.*

## THESIS V.

Sed age *Lingvæ Sanctæ Antiquitatem,* quæ intentionis no-  
 stræ scopus est, brevitate concinnâ demonstramus, ipsamq;  
*tanquam inter omnes Lingvas reliquas primam, contra Sciolos*  
*propugnemus.* Quod certè ut urgeamus, ante omnia addunt  
 nobis calcar *Nomina Propria,* quibus ante & post Diluvium  
 Patriarchæ fuerunt insigniti. Ita *Adam* dicebatur non ab *Eden,* ut  
 Theodoretus



Theodoretus vult, *qv. 25. in Genes.* sed quia creatus erat ex  
 אֶרֶץ terra, quod est a Radice אֶרֶץ rubuit, unde אֶרֶץ  
 terra rubei vel argillacei coloris Sic *Heva* אֶרֶץ non à אֶרֶץ  
 indicavit, quod mulieres sint loqvaces & garrulæ, ut ludit  
 R. Jacob Baal Turim; sed quia erat mater אֶרֶץ omnium  
 viventium, à Radice אֶרֶץ vixit. *Eadem* appellabatur אֶרֶץ  
 mulier quia desumpta erat ex אֶרֶץ viro. Sic *Kain* dicebatur  
 אֶרֶץ acquisivit, acquisitum possedit; *Peleg* à verbo אֶרֶץ  
 divisit; *Noachus* à אֶרֶץ consolatus est. Et hoc Argumen-  
 tum à *Propriis Nominibus* desumptum, Abarbenel *in Gen. f. 28.*  
 vocat *Demonstrationem, sive probationem necessario concludē-*  
*tem*: de quæ eodem *Mercerus in Gen.* hunc in modum fatuit:  
*Etymologia Nominum Ebraeorum, quibus Moses utitur, quæ*  
*aliis aliarum Linguarum non possunt accommodari, satis*  
*lingua hujus vetustatem ostendit, eamq; primam esse. Sed*  
*placet hic non nullis regerere (I.) Nomina illa mutata fuisse*  
*à Mo, e & in linguam suam transfusa. Quibus nihilominus Mer-*  
*cerus respondet, Historicis in more positum esse, Nomina*  
*propria, etiam barbara, illibata retinere, licet aliquando*  
*mutent, ubi successu temporis, Regionum aut Locorum*  
*Nomina sunt mutata. Virorum nihilominus invariata reti-*  
*nere nomina, tantumq; ad suæ Lingvæ flexionem accom-*  
*modare, ita quidem, ut origo facile cognoscatur. Exemplo*  
*sit vox Syro-Chaldaea, Genes. XXXI. Item Pharao, Poti-*  
*phar, voces Ægyptiaca, in quibus nihil immutatum; sed ipsæ*  
*ab Ægyptiis mutuata, fideliter retinentur. (II.) Confugiunt*  
*deinde pleriq; ad Chaldaismum, cui omnia jam enumerata*  
*nomina deberi existimant. Verùm illis responsi locò pri-*  
*mum reponimus, id nos de quibusdam quidem, sed non de*  
*omnibus concedere posse. Nam primâ Linguâ mulier di-*  
*citur אֶרֶץ viro, quod ex Chaldaismo deduci nequit,*  
*cum ipsa mulier non אֶרֶץ, sed אֶרֶץ, vel אֶרֶץ*  
*nuncupet. Postea vero, ut ut nomina illa ex Chaldaicis*  
*Radicibus quæ antenus derivari queant, forma tamen*  
*apertè Ebræa manet v. g. אֶרֶץ Chaldaicè est אֶרֶץ*  
 B Chaldaicè

Chaldaicè פֶּלֶז , חֲמִיץ Chaldaice נַחַח Conf. Buxtorff.  
l. c. Pfeiffer. in Fascic. Dissert. Philol. Dissert. VI. p. 124.  
seq. Rivetus Tom. I. oper. fol. 255.

## THESIS VI.

Alterum Argumentum, quò Ebraicæ Linguae Antiquitas confirmari potest, Philologi desumunt ex *Nominibus Populorum*. *Japhet* enim, cujus etiam in actis profanis mentio fit, & qui Europæorum & Asiaticorum Aquilonarium parens judicatur; *Cham*, *Assur*, *Chus* &c. Ebræa sunt Nomina, & de antiquissima Linguae hujus ætate clarissimum & certissimum proferunt testimonium. Sic à *Gomer* originem suam traxerunt *Cimmerii*, qui & *Gimbri* audiunt. Similiter dubium nullum est, quin *Medi* à *Madai* *Jephti* filio descendant; *Madai* autem a Radice מַדַּי mensus est; *Jones* à *Javan*, *Moschi*, seu *Moscovitæ* à מֹשֶׁךְ *Scythæ* à מִסְכִּים, hoc verò a Radice כָּתַת contudit, contrivit. Et qui tandem sunt *Attici*, nisi qui Ebræis עֵתִיקִים i. e. Antiqui? Conf. *Reineccius Panopl. Tom. i. p. 6. Mayerus l. c. p. 300. seq.* & qui ab illo citantur; *Hieron. Q. 2. in Gen. D. Luberus in Comment. in Gen. aliq;*

## THESIS VII.

Porro Linguae Sanctæ Antiquitatem nobis commendat utrumq; *Summi* atq; *Primi* in orbe terrarum imperii *Nomen*, quod ab Ebræis descendere tam certum est, quàm quod certissimum. Antiquissimum quippe omnium fuit *Regnum Balyronicum* & *Civitas ipsa Babylon*, quæ cum apud *Scriptores Sacros*, tum etiam *profanos* celebratur maximè. *Babel* igitur Ebræum est, confusionemq; notat, quod nomen ab eventu, qui eò locò accidit, tristi, nempe linguarum

rum confusione, Civitas illa est fortita. Ita quoque notum est, Assyriorum Regno ejus conditorem, *Assurem*, *cujus meminit Genesis X. nomen dedisse*, ut hoc de nihil amplius addere sit opus. *Conf. Reineccius. l. 6.*

## THESIS VIII.

Constat prætereà nobis intentio nostra ex *Deorum Genalium Nominibus*, quæ ex Lingva Ebræa, & ex vicinis terræ Israeliticæ Regionibus, Syria, Phoenicia, Ægypto, &c. ad Græcos, aliasq; Gentes translata esse, res ipsa docet. Atq; ut à Japeto principium capiamus, hunc sapientiæ patres, *Poëta*, filium coeli & terræ, Patrem verò Atlantis, Promethei & Epimethei faciunt. De Etymo ejus diversa admodum Auctores ferunt iudicia. Quamquam autem iste τὸ Japet ἀπὸ τῆς ἰα-  
ῶ/εσν lædere; ille ἀπὸ τῆς ἰαῶ/αι mederi; hic verò ἀπὸ τῆς ἰσ-  
ῶ/αι καὶ πέρτε/αι derivari somniet: tamen quis non videt, nisi sacrarum Literarum expertus, Ethnicorum Japetum ex Japhe-  
to, quem in *Geoes* IV. laudavimus, esse transformatum? Hunc etiam in modum cum Saturno comparatum est, quem nonnulli ex latina Lingva deducere volunt: quorum non postremus, est ipse Tullius *l. 2. de Nat. Deor.* qui *Saturnum* dictum putat, quod *saturetur* annis: plerique autem à *satu* denominatum existimant, quod *peritiam satorum & ruris* primus edocuerit. Nec desunt, qui eundem ex Romano & Græco sermone conflant, innuentes, Saturnum ex *saturn* vel *sacer*, & ὕς nasci, ita ut juxta eorum *Ἑτιμολογία* Saturnus sit in numero vocum hybræ. Potiores verò ad Ebræam linguam confugiunt, eorumq; alii à יְשׁוּ omnipotens, sufficiens; alii à יְשׁוּ Cœl. *Rodig. L. 13. Lect. Antiq. c. 21.* alii deniq; à יְשׁוּ latere, *Saturnum* accersunt. Sic Janus ab Ebræo יָנוּס vinosus, descendit. Sic nomen Jovis à tetragrammato יְהוָה ortum esse, perquam probabile est. Sic Vulcanus à Thubalcaino, ex quorundam opinione, est. Sic Ceres à שַׁרְרָה à Ra-

dice  $\Psi$   $\Gamma$  expulit, ejecit, quia fructus extruduntur. Sic Ba-  
chus à ככה Conf. sapius citatus Mayer l. c. p. 323. de hoc ar-  
gumento fufiffimè agens.

## THESIS IX.

Hifce rationibus adde & hanc, quam plurimæ voces  
*Ebraica in aliis idiomatibus occurrentes*, nobis suggerunt.  
Nam vix ac ne vix quidem Lingvarum ulla est, in qua vo-  
ces, vel puræ Ebraicæ, aut ad minimum hujusmodi origi-  
nis, non reperiantur. Utiq; ad imitationem Ebraeorum  $\Psi$   $\Gamma$   
fecerunt Græci  $\mu\epsilon\iota\omicron\nu$  signum. *Piger* est vox latina; sed  
quis non animadvertit, quòd originem ipsa acceptam ferat  
Ebræo פגר à Radice פגר. Hanc cum lingua Ebraica conveni-  
entiam habent etiam fequentia exempla. Vox Germanica  
*Ager* cum Latina *ager* & Græca  $\alpha\gamma\rho\varsigma$  ab Ebræa אגר descen-  
dunt. Vox latina *peto*, cui etiam Germanicum *bitten* respon-  
det, item Græca  $\pi\epsilon\delta\omicron$  *persvadeo*, natales suos debet Ebrææ פטה  
idem judicium habendum est de voce *Cameli*, quæ Latinâ,  
Græcâ & Germanicâ fertur lingvis; idem de voce *Sacci*,  
*Camini*: quarum illa à אסל ista à פש, hæc verò à אסא de-  
scendit. Ita ex אפ die Kähle ex אפא der Donner / ex אפא  
Brod ex אפא Korn / ex אפא der Kopf / ex אפא die Galle / ex אפא  
lieb / lieben / ex אפא mindern / ex אפא mischen / & plurima alia  
ex aliis nascuntur, quæ videre licet apud Schichard. in *Instit. L. E.*  
p. 116. *Bohem. Gramm. Ebr.* p. 135. Unde Hieronymus *ad c. 3. So-*  
*phon.* linguam Ebraicam *matrem omnium* appellat. Et Fœr-  
sterus in *Lex. Ebr.* ita de eadem judicat: *ingens est gloria &*  
*dignitas Lingvæ Ebraicæ præ ceteris, quòd ab aliis lingvis nihil*  
*mutuetur, aut mutuetur: alia verò ab hac multas voces mutu-*  
*entur.* Sed vellicas fortè aures nostras, in lingua, cuius An-  
tiquitatem tantoperè jaclamus, multas deprehendi voces Gra-  
ecas, Persicas & Arabicas? Equidem si hoc de lingua, hodiernis  
Judæis & Rabinis usitatâ maximè, capere velis, ambabus tibi,  
ut vulgò dicunt, largiemur manibus: de veteri verò idem sen-  
tires

tire iniquum est. Nam licet hæc quidem peregrinas quasdam admittat (v. gr. in Esther occurrit vocabulum הַרְרִי) non tamen suas facit, sed accommodat sese ad subjecta illa, quæ talibus loquendi formulis delectantur. *Vide huc Reineccium & Leusdenium locis citatis.*

## THESIS X.

Tandem, si *Auctoritatibus* quicquam tribuendum sit, Buxtorffius junior, locò sæpenumerò allegatò, quàm plurimos colligit Auctores, cum Judæos, tum etiam Christianos, qui omnes unanimi consensu *Antiquitatem Lingvæ Ebrææ* defendunt: quos tamen nominatim persequi superfedemus. Nemo enim ex Patribus nobis contradicit, si Theodoretum excipias, qui amore sine dubio in Patriam ductus, Syriacæ Lingvæ primatum præ ceteris adscribit, *qv. 12. in Gen.* Quare probationi nostræ Theses necquicquam ampliùs addere lubet; sed ad refellendos nobis contrariam opinionem foventes, nos attingamus, chartarum angustia efflagitat.

## THESIS XI.

Quum autem nobis non nisi brevibus esse liceat, factum cum quibusdam ex adversæ partis Scriptoribus, rem habebimus. Et eos quidem, qui statuerunt, *ante confusionem Babylonicam plures unâ extitisse lingvas* in præsentia mittimus, siquidem Scripturæ tenebras Cyclopico ausu offundere nituntur, quæ unum labium, hoc est unam lingvam fuisse nos commonefacit. Neque de *Cluverii* opinione refutanda solliciti erimus, qui autumat, *Lingvam primævam in confusione Babylonica interiisse.* Notissimum enim est, hunc auctorem adeò multa fingere absurda, ut de eo magnus ille Grotius mentem ita suam aperiat: *Multum, inquit, Cluverius ex ingenio suo nimis, quàm confidenti refinxit, ita, ut si cui ridicula placeant, adire liceat ejus Germaniam Antiquam.* Nam quòd multa obviant vocabula, quæ

vix, aut difficulter, vel incommode sanè ad Ebræam referuntur  
lingvam, id non illi, sed confusione imputandum est. Et qua-  
lis hæc fuisset arrogantiae humanæ illata poena, si omnium idio-  
matum nomina ita sese haberent, ut manifestè arguerent Radi-  
cem, ex qua deducantur? Mosen autem Nomina Patriarcha-  
rum neutiquam immutasse, suprâ evicimus. Sed examinemus  
jam *Myricæum & Goropium Becanum.*

## THESIS XII.

Goropium Becanum quod concernit, notum est, illum  
lingvam suam Cimbricam, (quam Schmidius Hollandicam  
ait) in venerandæ Antiquitatis folio collocare, allaborasse. Ar-  
gumenta ejus potiora hæc sunt: (1) *Quia omnes Lingva, imò  
& Ebraica ipsa, quædam ex Flandrica habeant: sic enim ei est,*  
c. gr. *Adam* quasi *Haat-Dam* ager odii, *Eva* *Ev-Bat*  
id est, vas seculi, *Abel* *Haat-Belg* id est, odium belli, *Kain*  
*Bat-Einde* id est, malus finis, *Methusalah* *Maact* u  
*Seelig* id est salva te, *Sem* *Semt* id est decet, *Cham* *Qvat-*  
*Amt* id est malus magistratus, *Noach* *Noat-Ncht* id est cu-  
rans necessitatem *Nimrod* *Nimts-Brod* id est raptor  
panis. (2) *Urget voces monosyllabicas.* Si enim lingua  
est simplicissima, erit omnium antiquissima. Nam omne  
simplex prius est composito. Sed ut rem brevissimis expe-  
diamus, respondemus ad primum: Hæc omnia cum Ety-  
mis, quæ Scriptura Sacra suppeditat, paria non facere. Il-  
la enim prorsus alium horum Nominum & sensum & ori-  
ginem exponit. Quin etiam hæc Paronymiæ adeò ineptæ  
atque ridiculæ sunt, ut vix Allusionis, nedum Notationis no-  
men mereantur. Ad alterum regerimus, Majorem universa-  
liter non procedere: Quæcunque Lingva est simplicissima, il-  
la est antiquissima. Dabo namq; instantiam: Atqui lingua  
Sinica plerasq; voces unisyllabas habet, quæ varias obtinent si-  
gnificationes, & nisi accentu & tonò, in pronunciando non  
discernuntur. Illam autem esse antiquissimam, ne Goropius  
quidem

quidem concesserit. Ceterum Canon ille probationis loco ad-  
ductus, uti ex Philosophia constat, certas patitur limitationes,  
ideoque simpliciter non procedit: Certè si Bècanus Prosyllo-  
gismum ita formaverit: Omne simplex tempore prius est com-  
positò, absurdè philosophatus fuerit. Obstant enim innume-  
ra exempla, quin tali modò Canon admittendus. Unicum  
adnotabimus: Anima est simplicior corpore. Ergò & tempo-  
re prior? Absorium! Corpus enim prius est productum, &  
deinceps anima, ut Creationis Historia abundè testatur. Sin  
autem ita intulerit: Omne simplex est *naturâ* prius compo-  
sitò, nihil contra nos obtinuerit. Positò enim, quòd Lingva  
Cimbrica quoad voces sit simplicissima, attamen, si aliarum  
voces ex iis non componuntur, ex ipsis solis primatus Cimbri-  
cæ evincitur minimè. *Conf. Excell. Pfeiffer. in Crit. S. ut & in  
Dissert. Philol.*

### THESIS XIII.

Jam cum Myricæo nobis res est. Statuit nimirum ille  
Chaldaicam linguam esse omnium antiquissimam, quia (1)  
Gens Chaldaica fuerit prior Ebraicâ. Ergo & lingua. (2) Abra-  
hamus chaldaicis ortus sit parentibus. Ergo & in Chaldaicis  
lingvâ & moribus informatus. (3) Lingva Chaldaica sit sim-  
plicissima: & quæ sunt id genus alia. At verò refutavit hunc,  
rationesq; ejus singulas accuratissimè & prolixissimè *in Philol.  
S. part. II.* resolvit Mayerus: ad quem candidum Lectorem re-  
mittimus. Nos enim, ut colophonem Discursui præsentis ad-  
damus, Leges, ab inclyto Philosophorum Ordine sancitæ, mo-  
nent, quas inausas atque intemeratas venerari juvat. Nihil ergò  
ampliùs restat, quàm ut DEO immortalis gratias agamus  
religiosissimas, quò nostris studiis ultrò, quòd hæcte-  
nus fecit, faveat.

T A N T U M.

OK Th 147

Ad

*Doctum, Eximiumque*

Dn. JOHANNEM LISCHOVINUM  
Hungarum, cum de Antiquitatæ  
Lingvæ Hebraicæ publicè disputaret :

**N**on est de nihilo, Natales scire Lo-  
quelæ,

Quâ DEUS est usus, cum colloqueretur  
Adamo ;\*

Hâc Lingvâ Fidei mysteria Sancta pate-  
scunt,

Hâcque DEI Mentam, ut salvemur, scire  
paratum est.

Laude igitur, Tu, matre tuâ, quem diligo;  
tandem

Hungaria aut Germania næ referent Tibi  
Honores.

\* *Barclajus in Argenide L. V.*

*c. 4. lin. 13. p. 542. petere*

*Ipsam Ducem, ut liceat*

*colloqui Regi.*

*raptim facieb.*

JOACHIMUS NENGER, Siles.

*D. Professor Pandect. Public: Curiaelecto-  
ralis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ,  
quæ hîc sunt: nec non Judicii Ducalis in  
Marchionatu Lusatiæ Inferioris Assessor,  
& p. t. Academia Rector.*

komf

WLA





DNO. M  
RESIC  
dorff, D

DNAE.  
NAE

DN. JO  
ROBA  
CAE in C

VOS, tanqua  
nerandus Praecep  
parabiles, colere  
tur finitis, ut, illu  
sum facturus,  
nusculum, ut ut  
ponam atque exp  
sis. Quod singula  
num NUMEN,

simis

BANDE.

NI â GERS.

n, Hausvvalda

Enliferi

ATHARI.

SDORFF,

n,  
GIO LIBE-

ACADEMI-

ventutis hodie

n Gorlicii me docuit Ve-

quam Maccenates incom-

m Coronâ. Quidni igi-

tes, unius guttula hau-

chartaceum hocce mu-

at, ad pedes Vestros de-

rsu langventem, refici-

supplici poplite Supre-

ESTRORUM

us

CISCI, Hungarus,  
Respondens.

